



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

De Sancto Tammaro Episcopo Confessore Beneventi In Italia Sylloge.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70595)

DE SANCTO TAMMARO

EPISCOPO CONFESSORE

BENEVENTI IN ITALIA

SYLLOGE.

C. C.

Sancti Elogium ; fuit episcopus in Africa ; sed an etiam Beneventi ?

B
SAC. V AUT
INVENTE VI.
S. TAMMARUS
XVI Januarii
in diocesi
Aversana.

Sanctum hunc Antistitem Codex Usuardinus Vaticanus, caractere Longobardo exaratus, quem Papebrochius novam collectionem ex Usuardo, Adone et aliis pro ecclesia Beneventana factam appellat, inter Usuardina apud Sollerium Auctaria ad hunc xv Octobris diem commemorat his verbis : Beneventi . . . et Sancti Tammari Episcopi et Confessoris ; commemorat et ad eundem diem in Catalogo Sanctorum, quos ecclesia Beneventana duplici vel semiduplici ritu celebrat, Marius de Vipera Archidiaconus Beneventanus ; Codici Vaticano et Mario de Vipera quoad annuntiationis diem consonat Ferrarius in utroque Sanctorum Catalogo, Generali videlicet et Sanctorum Italiae : at ex antiquis Kalendaris, quartæ parti Sanctuarii sui Capuani a Michaële Monacho insertis, quæ Sanctos Capuæ quondam cultos complectuntur, secundum et quartum S. Tammari memoriam consignant cum eodem quidem Episcopi et Confessoris titulo, sed ad alium diem, scilicet ad XVI Januarii, asserique in suis ad dicta Kalendaria Observationibus laudatus Monachus, hac die eundem Sanctum etiamnum coli in diocesis Aversanæ loco, qui dicitur Vico de Pantano, ibique eum tradi mortuum esse et sepultum. Quamobrem, opinor ad diem XVI Januarii in Martyrologio suo Universali eidem diocesis Aversanæ vico Sanctum attribuit Castellanus hisce Gallicis, quæ Latine reddo, verbis : Pantani in diocesi Aversana S. Tammari ex numero eorum Confessorum, qui creduntur venisse ex Africa cum S. Castrensi.

C
at hac die Beneventi cultus

Ut citatos haec tenus sacros Fastos in concordant adducant, alium S. Tammaram in diocesi Aversana, alium apud Beneventanos coli quidam autumant, quod etsi Ferrarius etiam non displicuerit, nobis tamen minus probabile videri infra dicemus. Porro cum ad diem XVI Januarii Majores nostri S. Tammaram inter Prætermisissos retulerint, necesse est ut de eodem Sancto ad hunc xv Octobris diem agamus, quo eum Beneventi coli laudatus Vipera tam in Catalogo supra citato, quam in Elogio, mox dando, docet. Ecce illud in Chronologia Episcoporum et Archiepiscoporum Beneventanorum, ex qua illud, uti et Ughellus fecit (a), huc transcribo: Tammarus episcopus XXIII unus ex iis, quos Martyrologium Romanum sub prima die Septembris socios S. Prisci recenset, qui in persecutione Wandalarum ob fidem

Catholicam varia afflictis, et vetustæ navi impositi ex Africa in Campaniæ littora pervenerunt anno Domini 440 circiter, et Christianam religionem in iis locis dispersi, diversisque ecclesiis præfecti mirifice propagarunt. Hic cum prope Beneventum solitariam ageret vitam, fama sanctitatis erumpente, fuit ad episcopatum evectus, et ita Beneventanam ecclesiam pie sancteque rexit, ut inter Sanctos defunctus referri muruerit. Extabat antiquitus basilica in ejus honorem erecta extra civitatem prope flumen Thamari, a qua postea flumen nomen accepisse fertur, temporum longitudine consumpta. Floruit anno Dom. 465, cujus festum agitur xv Octobris Beneventi, ubi ejus Reliquiæ servantur in cathedrali sub altare majore, ut ibi marmori sculptum docet.

Ex quibus monumentis id Elogium concinnari, indicat laudatus Archidiaconus Beneventanus ad marginem citans Michaëlem Monachum in Sanctuario Capuano, et Martyrologium antiquum MS. ex Bibliotheca Beneventana, cum vero id posterius pro sola Sancti, quæ Beneventi xv Octobris agitur, festivitate laudet, non immerito suspicari possumus, quidquid is de S. Tammari Gestis commemorat, iis exceptis, quæ de eodem Sancto in S. Castrensis Vita, a Michaële Monacho part. I Sanctuarii Capuani, et in Opere nostro tom. II Febr. (b) edita, reperiuntur, ex incerta tantum popularique traditione profectum esse. Et quidem ex hac Vita, ab auctore coævo, aut suppare, saltem prout in Opere nostro extat, ut censuit Henschenius, et luculente, solutis Tillemontii aliorumque objectionibus, ostendit Stillingus tom. I Septembris (c), exarata sufficienter confirmatur id, quod habet datum Elogium de S. Tammaro ex Africa in Campaniam appulso, ut de eo verbis supra datis ita dubitanter loqui necesse non habuerit Castellanus ; potuisset et hic Martyrologus eidem Sancto titulum episcopi, tuto adjungere ob episcopatum in Africa gestum, quandoquidem laudatus S. Castrensis biographus eum inter Sanctos viros et summi sacerdotii honore præditos, seu episcopos vetustæ ac cariosæ navi, Wandalis cuilibet et nominatim S. nostro Tammaro amaro hoc sarcasmo, Tammaram fas est proram gubernare benigne, illudentibus, cum multis aliis impositos, marique commissos, sat aperte recenseat, Ex quibus (inquiens) viris, videlicet, Sanctis etiam-

E
a S. Tammaro episcopo Africano, a Wandalis ex Africa

F

(a) Ital. Sacr., t. VIII, col. 16. — (b) Ad diem xi Febr., p. 526.

(c) Ad diem i Sept., p. 211.

que

AUCTORE
C. G.in Campani-
am sac. V.

que summi sacerdotii honore præditis, præcipue rutilabant meritis et moribus et sensus decore Roscius, Priscus, et Tammarius et ab indole Sanctus enitens Castrensis. Verum de his dubitavit Castellanus, quod minorem, quam par erat, eidem biographo adjungeret fidem.

4 Quo vero anno ea, quæ de Sancto nostro sociisque narrat S. Castrensis Vila, acciderint, hique in Campaniam, Deo mirabiliter eos, ne a mari absorberentur, præservante, incolumes appulerint, non facile est determinare: Henschenius tom. II Februarii (a) id contigisse anno 438 aut 439 non improbabili opinatus est hac de causa, quod laudatus biographus, perstricta Wandalarum adversus Catholicos in Africa persecutione, ita habeat: Hoc factum et usque ad quartum annum, ac narrationem suam prosequens, mox ea referat, quæ S. Tammarius ejusque socii in Africa passi fuerunt: hinc enim statui posse videtur, ab initio persecutionis, quam, anno 435 pace inter Valentinianum imperatorem et Wandalos facta, hisque parte Africæ ad inha bilandum concessa, mox exortam esse laudatus Henschenius loco citato, et Theodoricus Ruinartius in Commentario Historico de persecutione Wandalica arbitrantur, 3 aut 4 annos fluxisse, ante quam Wandali in S. Tammarius ejusque socios sævirent, adeoque eosdem Sanctos dicto anno 438 aut 439 ex Africa ejectos in regni Neapolitani Campaniam pervenisse. Favet et huic opinioni deliberatio illa Wandalarum, ita Sanctos, cum post carceres et verbera immota horum in fide Catholica persisteret constantia, perdere volentium, ut nullæ, quas Catholicos in veneratione habituros sciebant, eorum superessent Reliquiæ, antequam de iisdem cariosæ navi imponendis et in mari submergendis cogitarent; ea enim deliberatio innuere videtur id tum novum fuisse, nec ante a Wandalis usurpatum, adeoque ante captam a Wandalis anno 439 Carthaginem, quando similiter S. Quodvuldeum Carthaginensem episcopum una cum suo clero navibus fractis impositum mari commiserat, ac disse.

aut in eunte VII
pulsio.

5 Atque hæc quidem suadent non longe a vero aberrasse laudatum Viperam, qui Sancti nostri in Campaniam adventum circa annum 440 collocavit; cum vero sint etiam admodum dubia, ultro cum Stillingo tom. I Septembris (b) amplector opinionem Ruinartii: Si conjecturis (inquit hic auctor in laudato Commentario Historico) indulgere voverimus, nullus fere erit annus sub Wandalica dominatione, ad quem hæc persecutio revocari non possit; ut proinde toto illo tempore, quod ab anno 435, quo persecutio cæpta, et licet sub Guntamundo intermissa, sub tribus tamen regibus, Genserico videlicet, Hunnerico et Trasamundo crudelissime grassata est, usque ad postremi hujus tyranni obitum, seu annum 523, quo a successore Hilderico persecutio restincta est, excurret, mirabili eo, quo id factum esse S. Castrensis biographus refert, modo Sanctus noster cum Sociis in Campaniam appellere poterit. Porro ubinam loci S. Tammarius post suum in Campaniam adventum reliquum vitæ transegerit, silet laudatus S. Castrensis biographus; solummodo habet S. Castrensis socios perrexisse ad loca propria, quæ illis Christus sancivit pro salute credentium: atque hinc modo fit, ut, quæ laudatus Viperam de S. Tammario prope Beneventum commoratione ejusdemque episcopatu Beneventano asserit, suspicet profuxisse ex eodem fonte, ex vaga scilicet popularique traditione, ex qua Thamarum fluvium, Benevento vicinum, a basilica olim eidem Sancto dedicata

nomen suum sortitum esse scribit, quamque hac ex parte jam ante me suspectam habuit Eminētissimus pariter et doctissimus Cardinalis Stephanus Borgia in Memoritis Historicis civitatis Beneventanæ (c), et reipsa valde infidam esse ostendit Itinerarium Antonini Augusti, in quo id nomen eidem fluvio tribuitur, atque ita notatur: Bovianum civit. super fluvium Thamarum M. P. XVI.

6 Attamen Ferrarius S. Tammarius in Elogio, quod in Catalogo SS. Italiæ ad xv Octobris concinnavit, etiam sine hæsitacione pro episcopo Beneventano habet, eumque facit proximum S. Barbati successorem. et deinde, cum S. Barbatus sæculo VII, Longobardis in Italia dominantibus, cathedram Beneventanam absque dubio tenuerit, adeoque S. Tammari Beneventani, si hic reipsa S. Barbato successerit, ætas nullatenus S. Tammario, sæculo v aut ineunte vi ex Africa in Campaniam delato, congruere possit, dubitat in Annotatis idem Ferrarius, an S. Tammarius a Beneventanis cultus et pro episcopo quondam suo habitus diversus non sit a S. Tammario Africano, quem in diocesi Aversana vici Pantani incolæ in veneratione habent: ast præterquam quod ipsemet secum pugnet Ferrarius, dum SS. Barbatum et Tammarium in serie episcoporum Beneventanorum collocat ante Epiphanium, Synodo I Romanæ sub Symmacho Papa, anno 499 habitæ (d), subscriptum illi hac in re refragantur laudatus Viperam et Ughellus tom. VIII Italiæ Sacræ, apud quos S. Tammarius longe ante S. Barbatum in eadem episcoporum Beneventanorum serie locum obtinet inter Dorum, ex Epistola Leonis I, de qua Baronius in Annalibus ad annum 448 loquitur, notum, et S. Sophiam seu Cadocum; eundem locum obtinet in Diptycho Collectioni Synodorum Beneventi habiturum præfixo a Vincentio Maria Ursino Archiepiscopo Beneventano, postmodum Benedicto XIII summo Pontifice: quamquam vero et hæc chronologica forte vitiosa sit, meliusque S. Sophiam seu Cadocum, ut ex eis, quæ de hoc Sancto Operis nostri parens Bollandus tom. II Januarii (e) habet, perspicui potest, non ante, sed post Epiphanium collocaretur, cum quidem omnes S. Tammarius in serie episcoporum Beneventanorum collocent ante Epiphanium, hæc ætas, quam S. suo Tammario Beneventani adscribunt, satis congruit S. Tammario Africano, ut unus idemque censi possit. [S. Tammario proxime successisse, ait Joan. de Vila, Canonicus Beneventanus (f), S. Sophiam seu Cadocum, quin ullo argumento Bollandi Nostri chronologiam refutet.]

7 Neque etiam, ut hic duos distinctos SS. Tammarios agnoscamus, urget diæti, quo a Beneventanis, a die, quo a Vici Pantani incolis colitur S. Tammarius, diversitas: hujus enim ratio esse potest, ejusdem Sancti Reliquiarum, quas Beneventanos possidere docet ex inscriptione marmorea laudatus sæpius Archidiaconus Marius de Viperam, ex eodem vico Beneventum, si reipsa, quemadmodum hujus vici incolæ velle testatur cum Michaële Monacho Paulus Regius in Sanctis Neapolitanis (g), ibi S. Tammarius Africanus obierit sepultusque fuerit, aut, si secus habeat, facta quondam e converso translatio. Ut sit, si S. Tammarius, aut a Beneventanis aut a vici Pantani incolis cultus, a S. Tammario sub Wandalis ex Africa in Campaniam delato esset distinctus, esset hic penitus ignotus; quare dicere mallemus, quod Papebrochius occasione S. Canonis (h) pronuntiavit: Tam certa (ex Actis S. Castrensis) notitia (Tammari) unius ex Africa in Campaniam delati

(a) p. 324.—(b) p. 212.—(c) Ist. della città di Benev., t. III, p. 282.—(d) Labbe, t. IV. Conc. col. 1315.—(e) Ad diem xxiv Ja-

nuar., p. 602.—(f) Antiquit. Benevent., t. II, p. 117.—(g) Vite de Santi e Sante, t. II, p. 943.—(h) Ad diem xxiv Maji, p. 28, num. 5.

sub

A sub Wandalis intra cariosam navim, et ætas, quam S. suo Tammaro adscribunt Beneventani, si confecturatur cum documentorum, quæ de S. Tammaro, si ab Africano distinctus ponatur, Itali habent, aut saltem hæcenus subministrarunt, inopia, vehementer nos inclinant, ut arbitremur, non nisi unicum (Tammaram) habendum esse pro Sancto, eumque ad sæculum v et Wandalorum tempora pertinere, quemque veluti Confessorem et Episcopum, ob episcopatum, ut supra dicimus, in Africa gestum, tam Beneventani, quam in diocesi Aversana Vici Pantani incolæ deinceps etiam in veneratione habere tuto queunt.

An rezit ecclesiam Beneventanam?

S Caterum ea etiam desunt nobis monumenta, ex quibus, ultra potior causa sit, Beneventanorum videlicet S. Tammaram Africanum pro episcopo quondam suo habentium, an dicti vici incolarum, eundem apud se defunctum sepultumque esse contententium, rite pronuntiem; etsi interim dissimulare nequeam, his posterioribus magis favere laudata S. Castrensis Acta, quæ diserte habent S. Castrensem prope Suessanam urbem post suum in Campaniam adventum magis cellulæ pauperculæ amplexum esse hospitium, quam terrenas divitias ac favores populi; quamobrem ejus etiam socium sanctum nostrum Tammaram solitariarium in Campania locum elegisse suspicari possumus. Accedit quod ejusdem memoria multo celebrior sit in Campania, hodie Terra Laboris, Italici

Terra di Lavoro dicta, quam in territorio Beneventano, ut liquet ex variis, quæ eidem Sancto in Campania dedicatæ extiterunt, partimque hodie existunt, ecclesiis, a Michæle Monacho in hunc modum recensitis (a): Habet (S. Tamarus) pagum et parochialem ecclesiam sui vocabuli a civitate (Capuana) mille passibus in via regia nova Neapolitana. Habet olim ecclesiam prope villam, quæ dicebatur S. Nazarius in Terra Lanii (a Clario, Italici Lagno, parvo flumine, quod territorium Capuanum ab Aversano dividit, sic dicta) et in villa quæ dicebatur Attignano in terra Cancie, et in diocesi Calvensi ecclesia S. Tammari de Monte erat subdita Archiepiscopo Capuano anno 1173. Constat id postremum ex Diplomate Alexandri III eodem anno dato, in quo inter possessiones, quas hic Pontifex Alphano Archiepiscopo Capuano confirmat, recensetur eadem ecclesia S. Tammari de Monte. Unde non levis oritur suspicio S. Tammaram magis ad Campaniæ incolas, quam ad Beneventanos spectare. Non ita quidem certus est S. Tammari episcopatus Beneventanus, ut de eo ipsimet Itali non dubitent, et nominatim Michæli Monachus, qui in suis ad Acta S. Castrensis Observationibus ita loquitur (b): Habent Acta S. Castrensem prope Suessam, consedissee: habet Breviarium Capuanum S. Priscum consedissee Capuæ: de reliquis nihil adhuc certi asseritur: sunt qui dicant Tammaram Beneventi.

ACTORE C. G.

D

E

(a) Sanctuar. Cap., p. 431. — (b) Ibid., p. 46.

DE S. CONOGANO EPISC. CONF.

CORISOPITI

IN BRITANNIA MINORE

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. B.

§ I. Discutiuntur Acta ab Alberto Le Grand conscripta.

F

PROBABILIUS SÆC. VI. Sancti Acta parum antiqua.

Corisopitum Cornubiæ, Gallicæ Cornouailles, quæ Britannicæ Armoricæ Inferioris provincia est, caput, ad Oderam fluvium (Odet) tribus circiter ab Oceano leucis distitum, episcopalis civitas est, archiepiscopatus Turonensi suffraganea; olim quidem Quimper-Odet, exinde vero Quimper-Corentin Gallicæ a S. Corentino dicta. Fueritne is reipsa primus ejus loci episcopus, et qua ætate Corisopitensibus primum datus sit præsul, ad diem XII Decembris, quo colitur, discutiendum est: huic Corisopitensium episcoporum Catalogi, sed quorum hæc magna fides est, subjiciunt, et quidem proxime, de quo hic nobis sermo est, S. Conoganum, Guenégandum vel Guennecum, Gallis S. Conocain, Guenégand, vel Guennekut dictum. Vitam ejus collegerunt typisque mandarunt P. Albertus le Grand, Britannus Morlænsis ex Ordine S. Dominici, in Vitis Sanctorum Britannicæ (a), et Jacobus Malbranca,

(a) Vies des SS. de la Bretagne, Armoricque, p. 625. Brest, 1837. Tomus VII Octobris, Pars Prior.

Belga e Societate Jesu, lib. IV de Morinis cap. XXIV: Albertus quidem ex antiquo S. Conogani prope Landernacum in Inferiore Britannia ecclesiæ Legendario, a loci vicario sibi subministrato anno 1624; Malbrancus vero ex apographo, quod illi P. Jacobus Bernard, Britannus, e Societate Jesu, ex Annalæo Corisopitensi descriptum transmisserat. Neuter cujus antiquitatis sit Legendarium ecclesiæ S. Conogani, vel Annalæum, ut vocant, Corisopitense exponit: at non adeo antiqua videntur, quin diu post S. Conogani ætatem scribi potuerint, atque adeo non ea sunt, ut magnam sibi auctoritatem fidemque conciliant.

Albertus S. Conogani Vitam verbis hæc, sed Gallicis, quæ Latine reddo, exorditur: Beatus præsul S. Conoganus in Britannia Inferiore natus est ex familia de la Pallue prope Landernacum in Leonensibus, ex parentibus opulentis ac apud suos

natale solum et genus: